

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

nec dubium est, quin æque absonas opiniones de Christo protulissent, ac alii homines, doctrinæ Christi rudes. Sic & tu nunquam dextrè respondebis, nisi antè sufficienter in articulis fidei instructus fueris.

Ne proinde pigeat te, conciones sacras sedulò invisere, devotè auscultare, & domi quoque sacram Scripturam evolvere, & in illa scrutari. Veniet aliquando, crede mihi, tempus, ubi in examen vocaberis, quod fiet aut in mortis agone, vel certè in extremo iudicio. Disce igitur in tempore nètum turpiter stes fortè.

III. *Bona fama stude.* Christus interrogat discipulos suos: Quem me dicunt, homines esse, Filium hominis? Quo ipso nos instruit, ne rumore vulgi & publicam famam planè contemnamus, sed perscrutemur, quæ de nobis sit hominum opinio. Bona enim conscientia nobis est opus, propter nos ipsos, bona fama propter proximum, ut Veteres dixerunt. Qui hominum famam susque deque habent, eos gentiles quoque pro homine futili nul-

liusque pretii habuere. Melius est nomen bonum, quàm unguenta preciosa, Eccles. 7. v. 3. Hinc Siracides c. 42. v. 15. 16.

Si verò famæ integritate gaudere vis, vide ut genuinus Christianus, & filius Dei vivi sis: Vive proindè ut Christianum decet, insiste vestigiis Christi, quæ in vita & passione, in doctrina & opere tibi reliquit, exhibe te talem, qualem pium & obsequentem filium Dei decet: hoc modò non tantùm in hoc mundo coràm hominibus bonam famam consequeris: sed & nomen tuum post mortem perennabit. Die enim novissimo iudex vivorum & mortuorum, in confesù SS. Trinitatis, coràm Angelis, Archangelis, omnibusque electis, imò Diabolis quoque & damnatis, sed in horum confusionem & ignominiam, nomen tuum amplissimis laudibus ornabit, teque in gaudium Domini tui introducet, ubi nominis tui memoria nunquam obliterabitur, siquidem in libro vitæ scriptum permanebit in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

## IN DIE FESTO VISITATIONIS MARIE.

*Evangelium Luc. 1. v. 39. -- 56.*

EXORDIUM.

**S**piritualis illa Ecclesiæ Sponsa, de Sponso suo ait: Ecce, Dilectus meus venit saliens in montibus, transsiliens colles, Cant. 2. v. 8.

In quibus verbis Ecclesia Christum compellat, est enim amicus sive Dilectus

ejus, aut *naturaliter*, quia humanam naturam, carnem & sanguinem ille adsumsit, quo respectu nos omnes Christi consanguinei, ipse autem cognatus noster factus est, unde etiam Goel noster aliquoties in Scriptura appellatur, Genes. 48. vers. 16.

9999

Esa.

Esa. 59. v. 20. Hiob. 19. v. 25. hoc verò nomen tam arctam consanguinitatem indicat, quâ quis obstructus est proximi sanguinem & necem vindicare, ut constat ex Num. 35. v. 19. sicut & hâc ipsa ex causa, Servator noster redemit nos, de manu infernalium latronum, & quia nos fauciae verant, Luc. 10. v. 30. ultus est nosmet, exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in seipso, Col. 2. v. 15.

Aut Christus Ecclesiae suae Dilectus est *spiritualiter*, ratione spiritualis communionis, quam per *unionem mysticam*, quae per verbum & Sacramenta fit, nobiscum habet, quò collineant verba Petri, dicentis: quod per cognitionem Christi, quae ex verbo & Sacramentis oritur, divinae confortes naturae efficiamur, 2. Petr. 1. v. 4. De hoc Dilecto ait Ecclesia: *Ecce, venit saliens in montibus, transiliens colles*: quo innuitur, quod Ecclesiae suae subvenire festinet, eamque ex omnibus tribulationibus eripiat, ut promisit Psal. 91. v. 14, 15.

Hæc verba quoque non inconcinne in hodiernum diem festum applicari possunt, quo Maria abiit in montana ad cognatam suam Elisabetham. Maria enim jam tum Servatorem mundi, in utero suo obumbratione Spiritus sancti conceperat, ut Gabriel ipsi prædixerat, Luc. 1. v. 35. hunc super montana ferebat sub corde materno, cujus adventum Johannes saltu fideli gratulatur, conclusus adhuc in utero materno Elisabethæ, ut prælecta Pericope indicat. Verè tum Elisabetha dicere potuit: *Ecce, Dilectus noster venit, saliens in montibus, transiliens colles.*

Non pro Instituti ratione videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

### Exegetis,

**Q**uemadmodum Sol, quando ortus est, non potest abstrusus manere, sed cuilibet se conspicendum exhibet, radios suos de se spargit, & tanto splendore refulget, ut totum aliquod hæmispherium illuminet, nec est, qui se abscondat à calore ejus, Psal. 19. v. 7. Eodem modo comparatum est cum *Christo*, qui est *Sol justitiæ*, Malach. 4. v. 2. *lux mundi*, quæ illuminat omnem hominem, Joh. 1. v. 9. *oriens ex alto*, Luc. 1. v. 78. postquam enim in utero castissimæ Virginis Mariæ, post præcedentem annunciationem Gabrielis per sanctissimam suam conceptionem ortus erat, ecce! velut Sol non amplius abscondi potest, sed altius montana transcendit, ut Elisabeth, & Johannes, in utero materno adhuc conclusus, super adventu & ortu ejus exultent, & quasi spiritualiter calefant à divino ejus gratiæ calore: Johannes etenim nondum natus, saltu hunc orientem gratiæ Solem salutatur. Mater quoque ejus Elisabetha, per Spiritum sanctum, tanquam radium Solis justitiæ, Sap. 7. v. 25. fovebatur, ut repletur Spiritu sancto. Idem hic justitiæ Sol Christus, in B. matre Mariâ peculiarem fidei calorem accendit, ut ex singulari animæ exultatione præclarum suum Magnificat insonet, Deumque pro gratiâ & beneficiis suis laudet & celebret.

Querela respicit

I. P. 4-